179

LOT 179

38530/B/2

was living at 925 King St in 1783

F. III 18/n

Oct. 1st 1840

Same day, at his residence in the Lower Close, Norwich, having completed his 99th year on Michaelmas-day, Sylas Neville, M. D. Of this venerable gentleman, for a great many years an inhabitant of this city, living as he did in a state of perfect seclusion, there is little to record beyond the fact of his having been born in London, and having taken his Doctor's Degree, at Edinburgh, in 1775. His inaugural Essay ("De Prognosi in Febribus"), delivered on the occasion is in print, and bears testimony to his acquirements both as a classic and as a pathologist. During many years, and to the last moment of his existence, Dr. Neville was chiefly indebted to the kindness of friends around him, for the means of subsistence.

7c (19) 19679

"Dr Sylas Neville used to live in a small house, now pulled down, on the left side going to the Ferry, the last house before the Stables.

He died on Thursday 1st of October and was buried in the Cloisters Tuesday October 6th 1840,

Mrs Pellew, the dearie[?] wife, took great interest in him, and was disappointed at his not living a year longer, so as to complete the centenary of his life,"

Mr Tallack 1879.

There is no tombstone to their memory.

Vide Palmer's Perlustration of Great Yarmouth for information about him

Sylas Neville M.D. was Church-warden of St George Tombland in 1786 –

Sewell 179
11/07

# TENTAMEN PATHOLOGICUM INAUGURALE, DE PROGNOSI IN FEBRIBUS:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

SYLAS NEVILLE,

BRITANNUS.

Soc. Med. Edin. Soc.

Sic ut quimus, quando ut volumus non licet. TERENT.

Prid. Id, Sept. hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXV.

19679

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Viro Praeſtantiſſimo

JOANNI MANNING, M. D.

Sanandi artem apud Norvicences,
Summo cum honore ſuo,
Et civium ſalute,
Exercenti;
Ingenio, doctrina, probitate, morumque urbanitate,
Inſigni:

Et
Viro vere eximio, atque
Admodum reverendo,

CALEB FLEMING, S. S. T. P.

Humani generis amico,
Libertatis, et in civitate
Et in eccleſia,
Vindici acerrimo,
Vitae integritate, animi beneficentia,
Morumque puritate,
Omnium bonorum laude digno,

Hoc,
Grati animi et obſervantiae
Teſtimonium,
Offert

S. N.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30548135_0002

# TENTAMEN PATHOLOGICUM

## INAUGURALE

## DE

# PROGNOSI IN FEBRIBUS.

## PROOEMIUM.

SCRIPTORES antiqui Graeci et Romani, in omnibus fere artibus et diſciplinis, praeclara et plane miranda ingenii monumenta dedere; ex his ſapientiae, humanam fere ſuperantis, animi excelſi, fortitudinis, patriae et libertatis amoris, et omnis generis virtutis exempla pulcherrima petenda; antiquorum eruditio et animi dotes virtuti aequales fuere:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui.———

In

In hiſtoria, eloquentia, et poeſi, ab omnibus palmam abripuere; et, ſi de eorum ſcriptis medicis idem dici non poſſit, id ignorantiae multarum oeconomiae humanae partium, quae hodiernis bene notae et familiares ſunt, non ingenii aut curae defectui vel negligentiae, tribuendum. Ab inimicis ſtudii antiquorum objicitur, eorum ſcripta multis erroribus et falſis theoriis ſcatere: Eſto; ſed omnes qui ſine invidia et praejudicio loquuntur innumeris obſervationibus egregiis, et factis utiliſſimis plena eſſe agnoſcunt, et cum multa utilitate et fructu uberrimo perlegi poſſe; venerandi ſemperque colendi *patris medicinae* egregia merita, famam, auctoritatem quis, ignorat? *Aretaei* ſagacitatem, et in morbis diſtinguendis deſcribendiſque diligentiam inſignem, omnes qui ipſi ſagaces ſunt medici ſummis laudibus efferunt; elegantia et facundia *Celſi* omnibus medicinae cultoribus, aeque ac puriſſimae Latinitatis amatoribus, ſemper placuit. Sed quid amplius dicam de re in qua inter omnes, ſaltem cordatiores, convenit? Eleganter *Claudianus* ad ſtudium antiquorum ita hortatur:

Interea muſis animus dum melior inſtet,
Et quae mox imitere legas, nec deſinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.

Veteres

Veteres paucis medicamentis uſi, et diaeta tenui et aquoſa freti, *prognoſi* maximam curam impendere, et obſervationes utiliſſimas de morborum ſignis, curſu, et eventibus, reliquerunt; ſapientia etiam ſua in difficilibus morbis diſtinguendis, et eventibus futuris praeſagiendis, magnam et meritam laudem quaeſivere.

Cum ergo fert animus antiquorum ſcripta quaedam perlegere, his rationibus, et rei dignitate ductus, nunc placet *de Prognoſi in Febribus* quaedam diſſerere. Sed pauca de prognoſi in univerſum praemittenda ſunt. Et in tota materie tractanda ſequentem ordinem obſervare liceat.

CAP.

Cap. 1. De Prognoſi in univerſum.

Cap. 2. De Prognoſi in febribus.

Sect. 1. Fundamenta generalia praeſagii in febribus.

Cauſae quae mortem directe inferunt.

Cauſae quae mortem indirecte inferunt.

Sect. 2. Reactionis nimis violentae, ſeu vis ſtimulantis, ſigna.

Sect. 3. Debilitatis, ſeu vis ſedantis ſigna.

Sect. 4. Irritationis et debilitatis conjunctae ſigna.

Sect. 5. Proclivitatis ad putredinem in humoribus ſigna.

Sect. 6. De diebus criticis.

Eorum exiſtentiam maxime probabilem eſſe.

Cur probationes nunc non aggredimur.

CAP.

## CAP. I.

### *De Prognoſi in Univerſum.*

MEDICI recentiores theoriis et diſputationibus ſuis implicati, et viribus medicamentorum chemicorum et aliorum valentiorum freti, magis in morbis ſubigendis et ſanandis quam in eorum progreſſu et ſignis obſervandis operam poſuerunt; nimis, ut opinor, prognoſin negligentes, qua ſane nulla pars medicinae eſt utilior aut praeſtantior, nulla ad aegri quietem, ſalutem, rectamve curationem, nulla ad medici dignitatem et honorem magis ſpectat: Cum enim omnium conſenſu noviſſe morbum et ab aliis recte diſtinxiſſe, primus eſt ad ejus ſanationem gradus, nemo quidem incolumitatem aut praeſagire aut aegrotis parare poteſt qui nec genus mali bene perſpectum habuit, nec ejus eventum monſtrare certis ſignis norit; is vero cui omnia haec nota ſunt et cum majore confidentia et feliciori exitu curationem inſtituet, aegri amorem, maximam famam et glo-

riam apud omnes ex praeſagio felici aſſequetur, et ſi ex ſignis infelix eventus expectandus ſit, praeſagio ſuo culpam et vituperationem vitabit. Medici autem artis praeſagiendi ignari, naturae ſtatum morbique progreſſum et vires non obſervantes, ſaepius medicamentis prorſus inutilibus vel etiam nocentibus, vel utiliſſimis, intempeſtive uſurpatis, utiles naturae motus aut impediendo aut intercipiendo, eventus laethales inferant. Hinc fit, ut quidam medici ſedulitatis et ſtudii neſcii, quorum conſilium praecipuum eſt opes cumulare, omnium de ſignis et praedictionibus ignari, vel in re deſperata incolumitatem et ſanationem promittant, vel, rebus integris et feliciter progredientibus, omnia metu, moeſtitia, et terrore impleant, ita dignitatem ſuam et artis turpiſſime prodentes, et hominum fidem in medicina ita turbantes. Tota etiam futuri victus in morbo, et curationis ratio ex praecognito ſtatu pendet, ut optime dixit Galenus de Criſ. lib. i. cap. 3. ‘ Generoſi autem medici atque arte Hippocratica digni eſt officium, futurum ſtatum praecognoſcere, cum omnem victus rationem ad ipſum inſpiciens, inſtituat. Eadem ratione principium morbi, atque augmentum, non ubi jam perfecta ſunt, cognoſcere, ſed multo antea praeſtabit praenoſcere.’

Ex

Ex omnibus nunc dictis praeſtantia et nobilis natura hujus partis medicinae, gloria et fama quas medicis, ſecuritas et animi oblectatio quas aegris affert, ſatis ſuperque apparent. Sed, ut ad rem nos accingamus, ſatis ſtabilitum eſt fundamenta praeſagii ex obſervatione virium naturae morbique ex toto pendere, ut nos docet Galenus de Conſtit. art. med. cap. 18. ‘ Medicus quippe his duobus, morbo inquam et natura colluctantibus, animum ſemper intendit, atque dum diſcernit, quodnam horum robuſtius ſit, primum quidem ſecum de ſalute hominis aut interitu, praeſagium depromit; deinde vero, quo alterum altero fortius eſſe novit, tum et illius praefinitum tempus agnoſcit.’ Igitur nullo alio modo melius ſalus vel interitus praevideri poteſt quam ex accurata virium tum morbi tum naturae notitia; ſi enim morbus fortior ſit, eventus triſtis omnino erit; ſin vero vires naturae validiores ſint, aeger ſine dubio convaleſcet, ſi nihil culpa vel ignorantia admittatur. At cum naturae victoria non niſi declinantibus morbis, aut ſaltem in eorum ſtatu contingat, medici eſt, diligenter naturae et morbi viribus perſpectis, an eae eouſque perdurare poſſint, conjicere: Quod ni faciat, de vita et morte praeſagium haud probe inſtituere poteſt. Hinc praeter naturae et morbi

cog-

cognitionem, futuri quoque aegroti ſtatus ſeu vigoris cognitio erit neceſſaria. Ex his conſtat aequalibus naturae et morbi viribus obſervatis, ubi ſtatus ſeu criſis morbi cito futurus ſit naturam morbum ſine dubio ſuperaturam, at tarde eadem criſi futura contrarium atque infauſtum judicium fiet. Totam rem optime expreſſit Galenus in lib iii. cap. de Criſibus ‘ Et quidem ſine horum trium exacta dignotione nihil de ſalute inveſtigari contingit, non magis quam hoc ſciri poteſt, hominis robore, oneris magnitudine, et viae longitudine antea non perſpecta: Nam aegri vires portanti onus, morbus vero oneri, tempus autem, quod uſque ad ſtatum extenditur, longitudini viae reſpondent.’

His omnibus collatis, patet totam doctrinam praeſagii in morbis apud antiquos ex naturae et morbi viribus inter ſe compoſitis, atque morbi ſtatu futuro dignoſcendo, pendere. Sed manifeſtum eſt eorum regulas praecognitionis, utut bonas, vix ſatis definitas eſſe; innumeris et optimis obſervationibus atque factis plena ſunt eorum opera, ſed rationibus parum ſtabilitis et connexis. Quidam igitur ex recentioribus, viri doctiſſimi et de antiquis et de medicina optime meriti, hunc defectum ſupplere, nec abſque ſucceſſu, conati ſunt; inter eos *Lud. Duretus* et *Proſp. Alpinus* magnopere

lau-

laudandi ; nec praetermittendus eſt Jod. Lommius qui breviter quidem, ſed perſpicue et accurate, praecipua antiquorum praeſagia nobis dedit: Hi auctores ſyſtema dogmaticum inſtituere aggrediuntur, et facta ab antiquis ut vera obſervata ratiocinatione confirmare ; verum et ſolum fundamentum omnis hujuſmodi ſyſtematis ex *viribus medicatricibus naturae* adverſus poteſtatem morbi pugnantibus pendet ; ſed difficilia quaedam et dubia hic oriuntur quae in ſect. i. cap. ſeq. ſuſius explicabuntur.

CAP.

# C A P. II.

## DE PROGNOSI IN FEBRIBUS.

### S E C T. I.

*Fundamenta generalia Praeſagii in Febribus.*

AD prognoſin in febribus rite intelligendam, earum cauſae, tum *proximae*, tum etiam *remotae*, prius indagandae ſunt. Sed talis diſquiſitio fines hujuſmodi tentaminis longe tranſiret, et cum tota de febrium cauſis et differentiis doctrina a celeberrimo *archiatro* noſtro tam clare, tam diſerte, tanta eruditione, tali acumine ingenii traditur, nullo modo neceſſaria eſt.

Antiqui et eorum inter recentiores diſcipuli totum praeſagium in febribus, aeque ac in aliis morbis, ex comparatione roboris naturae cum vi et ma-

malignitate morbi petiere, febres in progreſſu varia ſymptomata exhibent, quae majoris vel minoris momenti ſunt, prout malignitatem morbi, vel naturae vires et ad ſalutem proclivitatem, monſtrant. Ex his quidem, ſi pro certo cognoſci poſſint, veram ac certam prognoſin ſtabilire oportet ; ſed diſtinctio inter ſalutaria et mortifera ſigna eſt perdifficilis ; plerumque enim in febribus multa viſa ſunt ſymptomata de quorum natura et indole, et utrum ad vires medicatrices naturae, an ad vim morbi referenda ſunt, non conſtat. Quomodocunque autem res ſe habeat, omnis de prognoſi theoria ex doctrina de proxima morbi cauſa ejuſque effectibus, mortem motuſve ad ſanitatem inducentibus, petenda eſt. Medici hactenus ex ſignis ſalutaribus praecipue prognoſtica ſua condidere ; ſed, ob varias et prorſus pugnantes de cauſa proxima ſententias, et noſtram de principio vitali ignorantiam, manca et inutilia adhuc videntur : Hoc praeſagii ſyſtema doctrinam antiquorum et recentiorum multorum de materie morbifica, ejuſque coctione et expulſione, pro fundamento habet ; ſed haec doctrina tam validis et ſagaciſſimis argumentis in hac academia profligatur, ut nos morari non debet, nec magis

magis doctrina viſciditatis in ſanguinis maſſa, nec quantitatis, vel acrimoniae bilis, &c. Et cum omnia febrium phaenomena nos docent, earum originem praecipue pendere ex mutationibus in ſtatu *generis nervoſi*, prognoſis hoc fundamine tentanda eſt.

Primum inter omnes convenit, in omni febre alias eſſe conditiones ad mortem, et alias ad ſalutem et morbi amotionem, tendentes: Utrum prioris generis motus ſine ſalutaribus unquam obtinent incertum, et ut magis curioſitatis quam utilitatis relinquendum. Omnes tamen medici, ſolo Tenet excepto, conſentiunt utriuſque ordinis conditiones in omni febre praeſentes eſſe, niſi in cauſae primo impetu, quando haec morbum producit eventus ex motibus bonis vel malis dignoſcendus eſt. Ex ſignis ſalutaribus judicium perdifficile eſt. Poſt illuſtriſ. Hoffmannum omnes *ſpaſmum* in initio febrium obtinere obſervarunt, cujus exiſtentia morbi durationem, ſolutio ejuſdem finem dat. Hucuſque doctrina ſpaſmi ſatis evidens eſt, et conſilium naturae in cordis et arteriarum actione aucta apertum facit, nempe ſpaſmum ſuperare potius quam ullam in humoribus corporis mutationem inducere; et etiam bene explicat cur evacuationes ſemper comitantes febris ſolutionem efficiunt; ſem-

per

per enim ſpaſmi relaxatio hujuſmodi evacuationibus magis aut minus praeſtolatur. Sed fatendum eſt, hanc rem alio conſpectu difficultatibus non carere, quando intermittentis febris paroxyſmus ſolvitur ſpaſmus finem abſolutum habuiſſe videtur; ſed certe quaedam corporis conditio permanet quae reditum ejus producit, et ſicut omnis febris a cauſa ſpaſmum inducente oritur, hujus a motione ſola aegri ſalutem renovare poſſumus: Sed ex doctrina febrium patet, cauſam ſpaſmum inducentem debilitatem generis nervoſi eſſe; ſed hic obſcuritas nos invadit, nam ſtatus ſenſorii communis, ex quo pendet debilitas, nos admodum latet. In ſtadio calido febrium ſenſorii communis vis plurimum augeri videtur, quae in actione cordis et arteriarum majorum etiam augeri ſatis apparet; ſed mala conditio ſenſorii communis adhuc manet, et, ut ſanguinis impetus primaria videtur poteſtas vim cerebri excitans, veriſimillimum eſt actionem auctam cordis et arteriarum ad eam renovandam idoneam eſſe; perdifficile tamen eſt rationem reddere quare febres non ex toto ſanentur durante primo paroxyſmo, quando actio major eſt, et non niſi poſt plures, cum eadem actio minor et debilior eſt.

C † Ex

Ex his omnibus fatendum, rationem qua utitur natura ad ſanitatem in febribus reſtituendam perquam obſcuram eſſe, et ignorantia noſtra principii ex quo pendent vita et ſanitas difficultatem auget.

Quid igitur faciendum, cum ex ſignis *ſalutis* nulla *certa* prognoſis trahi poſſit? Ex ſignis quae proclivitatem ad *mortem* oſtendunt magis vera ac confirmata prognoſis petenda eſt. De his autem ſignis ex cauſarum mortis in univerſum, et praecipue in febribus, notitia judicandum eſt. Quum vero vita ab *excitatione ſyſtematis nervoſi*, quamvis ratio moduſque ignoratur, pendet, et certas res externas poteſtatem habere hanc excitationem augendi minuendive aeque notum eſt; ſyſtema etiam animale ita conſtitutum eſſe ut vitam ſuam aliquamdiu ſuſtinere poſſit, quia quaedam ejus functiones ad excitationem ſyſtematis nervoſi, cerebri praecipue, ſuſtentandam aptae ſunt.

Satis igitur manifeſtum eſt, cauſas mortis duplices eſſe, *directas* vel *indirectas*. Prioris generis ſunt ea quae in ſyſtema nervoſum immediate agunt, incitationem ejus invadentes; hujuſmodi ſunt frigus, animi pathemata, excitatio nimis violenta, venena, &c. Poſterioris generis ſunt omnia functiones oeconomiae animalis ad principium

pium vitale ſuſtentandum neceſſarias turbantia et delentia. Magni et illuſtriſſimi viri Boerhaavius et Hoffmannus prioris generis cauſas vix tetigiſſe, et omnia ad poſteriores retuliſſe videntur. Ad cauſas mortis ſpeciatim conſiderandas nunc progrediendum, et primum cauſas directas.

*Frigus*. Ut calor eſt inter praecipuas ſyſtematis nervoſi cauſas excitantes, ita frigus contrarium effectum habere exiſtimari poteſt; et exempla non raro occurrunt: Sed in his caſibus mortem a ruina ſyſtematis circulatorii et humorum congelatione multi oriri putant: Sed veriſimilius eſt ex modo quo frigus ſomnum et mortem inducit, et ex effectibus diverſorum graduum in animalibus ſomniculoſis id gradatim et lente ſyſtematis nervoſi vim minuere. Sed doctrina de natura et effectibus frigoris quibuſdam difficultatibus involvitur, et vix hujus loci eſt, cum raro cauſa mortis in febribus eſt. In ſtadio frigido febrium intermittentium homines interdum moriuntur; ſed veriſimile eſt frigus effectum ejuſdem cauſae eſſe quae et ſine frigore mortem induxiſſet.

*Animi Pathemata*. Quoſdam animi motus ſtimulantes, et alios manifeſte ſedantes eſſe, ſatis conſtat. Primi generis affectus incitationem ſyſtematis

ſtematis nervoſi augentes, ſecundi minuentes et debilitantes. Hujus exemplum timoris effectus dant, quos nemo ex ulla in ſyſtema circulatorium operatione directa oriri exiſtimat, ſed ex motu ob cerebri mutationem ceſſante. Sed haec hactenus; hae enim cauſae rarius in febribus mortem inducunt, et reliquae ſaepius exitium ferunt, ita paulo fuſius tractandae ſunt.

*Excitatio vel reactio nimis violenta*, quae vel ſaepius iterata vim vitalem labefacit, vel violentia ſua ſtructuram cerebri ad actionem principii vitalis neceſſariam delet. Phaenomena ſomni et vigiliarum ſatis oſtendunt talem violentiam morti occaſionem dare poſſe. Veriſimile eſt cerebrum ita conſtitutum eſſe, ut ejus excitatio ipſa poſtea excitationem imminuat, et collapſum inducat; nulla alio modo acceſſum ſomni intelligere poſſumus; et eodem modo percipimus unamquamque incitationem violentam debilitatem congruentem producere, et ſaepius repetitam tandem mortem inducere. Haec igitur cum aliis cauſis in exitu febrium lugubri multum poteſt.

*Venena* etiam mortem directe inducunt; ut cauſae mortis indirectae diu habebantur; ſed nunc in genus nervoſum immediate agere ab omnibus conceſſum. Medici in venenis definiendis in di-

verſas

verſas partes abiere; ſed ſequens definitio noſtrae ſententiae ſatis convenit, ea, nimirum, eſſe corpora tollere excitationem poteſtatis nervoſae directe tendentia, in febribus ſubito mortiferis, in quibus ante mortem ſphacelus in quadam remota, et minus nobili corporis parte, locum habebat, probabile eſt mortem a veneno induci quando pars ipſa in qua extat ſphacelus nullius momenti ad vitam eſt, et humores in multis caſibus vix mutati vel inepti ad circulationem redditi apparent; dicimus ergo mortem ſequi *ex vapore ſeu halitu putrido* in corpore genito, et actionem ſive incitationem cerebri delente. Utrum hic vapor ſit ejuſdem naturae cum aere mephitico non hic refert diſquirere; ſed peſtifera natura vaporum ex putredine orientium ſatis nota et confirmata eſt; miaſmata etiam quae tam conſpicuam partem cauſae febrium remotae conſtituunt ex quadam putredine oriuntur, et a debilitate et morte ſubita ab iis interdum inducta, ſedantis et debilitantis naturae ſemper videntur.

—————aut ipſa ſaepe coorta
De terra ſurgunt, ubi putrorem humida nacta 'ſt,
Intempeſtivis pluviiſque, et ſolibus icta.

LUCRET.

Cauſae

Cauſae mortis ex venenis pendentes ob conditiones ſequentes variae, ratione virium, ſunt. 1. Miaſmata interdum tam fortia ſunt, vel tanta copia ad corpus applicata, ut mortem immediate inducant. 2. Eundem effectum producere poſſunt debilitate ex paucis paroxyſmis oriente adjuta. 3. Interdum tam debilia ſunt ut mortem non inducant, niſi ut fermenta agentia. 4. In multis febribus ad putrefactionem proclivitas in humoribus noſtris perquam evidens eſt; utrum haec ex fermentis putridis, vel ex motu et calore pendeat, non hic inquirendum. Sufficit dicere, talem ſtatum ſaepe venenum producere duobus modis agentem; primum in maſſam humorum circulantium eam putridam reddens. 2. Humorum fluiditatem augens, qua varie effuſi et ſtagnantes vaporem virulentum et lethalem, mortem ſaepiſſime inferentem, producunt, et ſectiones cadaverum jam dicta confirmant. Plurima exempla in operibus Morgagni, Ill. Pringle, Lind, &c. occurrunt, et in ſectionibus mortuorum in celebri illa peſte *Maſſilienſi.* Cauſae mortis quae in ſubſtantiam cerebri medullarem agunt inter directas numerandae ſunt. Prima ſatis nota eſt, *compreſſio* ad propagationem motus in cerebro prohibendam ſufficiens. Haec exitium etiam in febribus interdum inducit; ſed

raro,

raro, et ſaepius in aliis morbis; igitur nihil amplius de ea in hoc loco dicemus. *Conſumptio ſubſtantiae ipſius cerebri*, et *obſtructio* vaſculorum cerebri, peccato *liquidi viſciditate depravati* a ſummo Boerhaavio inter cauſas mortis directas memorantur; ſed minus accurate, et tota res in febribus ad cauſas praecipue duas redit; nempe, ad excitationem nimis violentam et venena.

*Cauſae mortis indirectae* ſunt quae functiones ad ſanguinis circuitum, ſyſtema univerſum humoribus, et corpus nutrimento ſupplendum, et ita ad vitalis principii continuationem et tutelam neceſſarias turbant; ſed quae functiones ad ſanguinis circuitum neceſſarias corrumpunt, praecipue in febribus obtinent; eas hic enumerare vix neceſſarium; omnes fere mortem inducentes, quatenus a febribus oriantur, redeunt ad auctum ſanguinis impetum, quo inflammatio aut effuſio in partibus quarum functiones ad vitam ſuſtentandam maxime neceſſariae ſunt, et ex quibus reſorptio humoris effuſi non facile locum habet producitur. Quando enim reſorptio aut evacuatio nulla eſt liquor ſtagnans in putredinem vertitur, et fatalis eventus fere ſemper comitatur. Cauſae igitur indirectae ex propria febre orientes inflammationi

effuſi-

effuſionive in viſcera thoracica vel abdominalia plerumque referuntur. Ex cauſis igitur mortis et directis et indirectis fortiores in febribus videntur, excitatio ſeu reactio violenta quae impetu reiterato ipſum principium vitale exterminat, vel cerebri organizationem ad hujus principii actionem neceſſariam concidit, vel eodem impulſu organizationem partium ad ſanguinis circuitum apprime neceſſariarum corrumpit. 2. Venenum principium vitale evertere valens. Tale eſt miaſma vel contagio quae febris cauſa remota erat, aut putredo progreſſu morbi genita; utroque caſu, effectus hujuſmodi poteſtatis praecipue apparent vel in genere nervoſo ſigna debilitatis, vel in maſſa ſanguinis putredinem in ea, vel in humoribus ex ea orientibus inducentes.

Ex omnibus ſupra dictis manifeſtum eſt, ſigna eventus lethalis in febribus eſſe: 1. Symptomata graviora vis *ſtimulantis* ſeu reactionis violentae; 2. Vis ſedantis ſeu debilitatis inſignis; denique, 3. Proclivitatis ad putredinem in humoribus. Singula igitur ſymptomata quae unumquemque ſtatum manifeſtant, nunc quaerenda et patefacienda ſunt, ordine ſequente; primum in omni ſtatu, de ſignis ex functionibus *animalibus*; ſecundo ex functionibus *vitalibus*; demum ex functionibus *naturalibus*, provenientibus agendum.

## SECT. II.

*Reactionis nimis violentae, ſeu Vis Stimulantis Signa.*

PRaeter delirium ferox quod potius eſt ſymptoma phrenitidis, ſive impetus in cerebrum localis, pauca hujus vis ſigna ex facultate animali pendent. Quaedam tamen, ut opinor, ſunt, et, inter alia, *vigilia continua* quae in febribus mala plerumque judicatur, ſtimuli et irritationis ſignum, delirium, convulſionem, et alia funeſta inducens; multa exempla nobis reliquit Hippocrates aegrorum poſt vigilias perpetuas mortuorum, qualia ſunt uxoris Dromeadae *; haec mulier a primo morbi die ad quartum inſomnis; plerumque ſomno carere eſt morbi fortiſſimi manifeſtatio; inſpice hiſtorias multorum febricitantium in epidem. † traditas, in quibus ſomni abſentia peſſimos effectus producebat. Et de omnibus merito dicit di-



* Epidem. i. aegrot. 11.

† Lib. i. com. 2. &c.

vinus Senex *, ‘ Peſſimum vero eſt, ſi neque interdiu neque noctu dormiat.’ Hujuſmodi enim vigilia ex dolore vel anxietate magna vel delirio fere ſemper oritur, ut plenius Hippocrates nos docet †, ‘ Peſtiferum autem eſt non dormire nec interdui, nec noctu. Aut enim a dolore atque labore ſic vigilaverit; aut, de hoc ſigno, ſuae non erit mentis.’ Magna enim vitae injuria eſt, ſi vigiliarum et ſomni viciſſitudo nulla eſt in febribus, ut multi aegroti, in quibus omnia fere alia ſymptomata levia aut ſaltem mediocria erant, poſt hoc moriebantur.

Quippe patentia cum totas ardentia noctes
Lumina verſarent oculorum expertia ſomno,
Multaque praeterea mortis tum ſigna dabantur.

Lucret. lib. 6.

Nunc ad ſigna vis ſtimulantis ex *motrice facultate* petenda tranſeundum; hujus enim facultatis cognitio ad prognoſin indagandam utiliſſima. Plurima quidem ſymptomata vis ſedantis, ſed pauciora ſtimulantis ex hac fonte oriuntur; *inquietatio* tamen ſeu *jactatio* interdum vis ſtimulantis ſignum eſt, quatenus motus vitiatio turbulenta ſit, nempe, cum

* In 2. Prognoſ. text. 12.

† In Coac. praeſag. 3. text. 17.

cum morbi malignitate aut violentia aeger nullo conſiſtit loco, ſed varie ſe jactat, attollit, deprimit. Hoc ſymptoma praecipue apparet in ardentibus et maxime perniciofis febribus. Quod attinet ad prognoſin, certum eſt omnem *inquietationem* ſive jactationem, niſi criticam exacerbationem felicem prae-euntem, malam eſſe. Ita Hippocrates * Silenum moribundum ſeſe multum jactaſſe memoriae prodidit; et de muliere in Mendacium foro decumbente † ait, ‘ Septimo ſuper-riguit, febris acuta, ſitis ingens, ſe jactavit, &c.’

Neminem in rebus medicis quam minime peritum latere poteſt, ſigna ex *facultate vitali* ad praeſagia in morbis condenda ſummi momenti eſſe. Haec cognitio ad naturae vires atque infirmitatem denotandas utiliſſima eſt; hinc Galenus ‡, ‘ Si facultas vitalis poteſt morbi ferre vigorem, neceſſe eſt, ſervari hominem, atque ipſa nequeunte, mori.’ Robur vero ſeu infirmitas hujus nobiliſſimae facultatis ex actionibus ipſius robuſtis firmiſque, vel laeſis et debilibus, cognoſcitur. Vitales vero actiones ſunt pulſus et reſpira-

tio,

* 1. Epidem. com. 3.

† Epidem. 3. aegrot. 12.

‡ In Lib. de pulſibus cap. 34.

tio, et ex his vitae atque morborum ſtatus futurus deprehenditur.

Facultas vitalis in *corde* praecipue ſedem habet, ut animalis in cerebro; hinc poteſtatis excitantis in illa facultate ſigna praecipua ex *actione cordis et arteriarum aucta* oriuntur. Haec autem actio ex vario ſtatu *pulſus* atque *cordis* praecipue dignoſcitur; ſed de cordis actione ex ſtatu pulſus tantum judicare poſſumus. De *pulſu* judicamus vel ex uno ictu vel ex multis ſimul ſumptis. Ex uno icto primum de *velocitate*; 2. De *robore*; 3. De ſtatu *arteriarum* naturam ictus *modificante*; in multis ſimul ſumptis, primum de *frequentia*; dein de *aequalitate et conſtantia*, judicamus. Secundum hunc ordinem igitur pulſus *celer ſeu velox* primo conſiderandus eſt. Diſtinctionem inter pulſum celerem et crebrum, velocem et frequentem, quidam pathologi reſpuunt, ſed perperam ſententia aliorum peritia atque doctrina inſignium; verum eſt quidem pulſum frequentem cum celeri ſaepe conjunctum eſſe, ſed non ea proportione ut diſtingui nequeant, ſaltem ſi infra 90 in 1 frequentia eſt; ſed ſi amplius 100 eodem temporis ſpatio eſt non aeque, nam in hoc caſu ſpatium a cordis ſyſtole occupatum breve eſt, et diſtingui non poſſit. Omnium tamen conſen-

ſu

ſu pulſus celer, quando obſervari poſſit, irritationis et diatheſis phlogiſticae, ideoque vis ſtimulantis, ſignum eſt. *Pulſus creber* ſeu *frequens* hoc etiam loco conſiderari debet; ſed quaedam ambiguitas hic adeſt; nam non raro pulſus frequentia ex ſola debilitate oritur, et cum alia debilitatis ſigna talem frequentiam comitantur, ex hac cauſa oriri fere certum eſt: Sed ſi eodem tempore mediocriter robuſtus ac validus occurrit, potius ſignum ſtimuli ac irritationis quam debilitatis eſt; et hoc ſenſu Galenus * 'Vehemens pulſus a facultatis ſemper robore fit, ac quo ſit vehementior, tanto robur majus eſſe facultatis.' Sed ea frequentia quae vim ſtimulantem validam oſtendit proxime conſideranda eſt. Bene notum eſt, pulſum frequentem vocabulum relativum eſſe, ſecundum diverſas hominum aetates. In infantia enim 120, vel etiam 140 pulſationes in 1, ſine periculo fiunt, ſed per totam vitam poſtea, dummodo homo ſanitate fruatur, conſtanter pulſus frequentia minuitur, ut tandem in homine quinquagenario vel ſexagenario modus pulſationis ordinarius eſt 60 in 1. Status naturalis frequentiae igitur ex varietatibus aetatis, ſexus, tempe-

* In lib. 2. de praeſag. ex pulſibus, cap. 7.

periei et naturae corporis cognoſcendus eſt; hiſque conſtitutis, alia differentia ex peculiari *idioſyncraſia* oriri poſſit; ſed in hominibus juſtae aetatis ſtatus naturalis frequentiae a 60 ad 80 in 1 porrigitur. Doctiſſimus et peritiſſimus *Haller* 90 in 1, maximam naturalem frequentiam ſtatuit; et concedendum eſt irritatione non magna ad hunc numerum augeri poſſe; ſed in multis febrilem pulſationis ſtatum a 70 in 1, incipere certum eſt; ideoque judicium de frequentia ex natura atque temperie aegri praecognitis formandum eſſe.

Pulſus in *febre* ab 80 in 1, ad 120 in 1, ſurgit, et certe omnis major frequentia periculoſiſſima eſt. Ill. *Haller* dicit, neminem aegrotum pulſationes 120 in 1, per aliquod tempus habentem ſanitatem recuperare: Sed id viri illuſt. dictum cum grano ſalis accipiendum eſt; nam, ut quidam homines natura magis irritabiles ſunt, eorum pulſus ex eadem cauſa multo magis frequentes quam aliorum non ita irritabilium fieri poſſint; et multi peritiſſimi medici confitentur febricitantium pulſus 120 in 1 ſaepe ſuperare ſine eventu fatali. Inter omnes tamen convenit, talem frequentiam, ſi per dies aliquot duret, ſummi periculi ſignum eſſe. Omnis tamen prudens medicus conſiderare debet, pulſum frequentem a multis

con-

conditionibus caſu accidentibus, et ab acceſſionibus criticis ſalutari eventu ſtipatis ſaepe oriri.

3tio, *Vis* ac *robur* pulſus contemplandum eſt; ideoque *pulſus plenus ac magnus*. Pathologi ſaepe diſtinguunt pulſum validum a pleno et magno; ſed quo fundamento nititur haec diſtinctio non ſatis apparet. Pulſus tamen plenus et magnus actionis cordis auctae fere ſemper indicium eſt, et, per ſe ſpectatum, eſt potius ſymptoma ſalutare; ſed cum celeritate conjunctum irritationem et ſtimulum ſignificat; et ſi ſtimulus cerebrum directe invadat et diatheſis phlogiſtica eodem tempore locum habet, inter ſigna non minime pernicioſa numerandum eſt. Et pulſus plenus qui cerebri affectionem *coma* inducentem plerumque comitatur peſſimus eſt.

Pulſus *magnitudo* ex magnitudine in ſanitate aeſtimanda eſt; nam in hac re inter diverſos homines magna eſt differentia, quae partim arteriarum magnitudini diverſae, partim earundem profunditati diſſimili, tribuenda eſt. Igitur in comparatione pulſuum inſtituenda, utrumque carpum tangere neceſſarium eſt.

4to, *Status tenſionis in arteriae tunicis* examinandus eſt; nam ex hoc *pulſus durus* vel *mollis* dignoſcitur. Durus eſt, quando ictus magnitudo

et

et vis diſpares ſint; ideoque in pulſu debili durities vel mollities vix diſcerni poſſit. Haec autem pulſus duritia nullo alio modo niſi conſtrictione et tenſione arteriarum aucta explicanda eſt, et ut omnes phlegmaſias ullius momenti ſemper comitatur vis ſtimulans ſine dubio eſt, et diatheſin phlogiſticam ex tono arteriarum aucto pendere quam maxime oſtendit. Si pulſus ſatis magnus ſit, durities facile diſtinguitur; ſed ſi arteria parva ſit, aliter res ſe habet, et utrum durities ſtimuli vel debilitatis effectus ſit incertum manet, et ex aliis circumſtantiis indagandum eſt. Ita ſaepiſſime pulſus parvus et contractus poſt V. S. major et plenior evadit; ſed ſi ex debilitate parvus fuiſſet, hoc evenire non potuiſſet. Sequitur igitur ex tenſione a V. S. amota pulſum parvum fuiſſe.

Denique, *aequalitas* pulſus contemplanda eſt, id eſt, ſi ictus aequalia intervalla inter ſe obſervant, et non ſolum aequalitatem intervalli in multis ictibus, ſed etiam aequalitatem in uno ictu obſervamus; hae conditiones diverſae interdum ex irritatione oriuntur, ut in *palpitatione*; ſed in febribus ex irritatione ſola raro occurrunt; et ſaepius debilitatis ſigna ſunt, et ſaepiſſime irritationis et debilitatis conjunctae.

Haec

Haec igitur ſigna ex pulſu vim ſtimulantem ſignificant, non autem ex uno tantum, ſed ex multis inter ſe conflatis, judicium ferendum eſt. Pulſus celer, creber, validus atque durus, irritationis et ſpaſmi non minimum indicium eſt. Sed celer, creber, parvus, et inaequalis cum irritatione debilitatem conjunctam monſtrant.

Alterum indicium actionis cordis auctae ex *calore aucto* peti poſſit. De difficultatibus doctrinae caloris animalis non hic agendum; inter omnes enim convenit, velocitatem ſanguinis auctam calorem auctum inducere, qui igitur ſic auctus ut effectus vis ſtimulantis contemplandus eſt. Fallaciae tamen in hac re eſt periculum; nam ſtatum caloris in alio tantum cum noſtro comparando ſcire poſſumus, qui variis conditionibus varius eſt; ſi igitur pro certo ſtatum caloris ſcire velimus, thermometro utendum eſt.

Antiqui in quibuſdam ſcriptis ſuis de calore acri verba faciunt, ſed nihil paeter calorem magnum eos intellexiſſe veriſimile eſt; iidem de *calore acri et pungente* loquuntur; talis autem calor eſt, ut videtur, quando calor ex *ictu pulſus* ſentitur. Vehemens corporis ex *febre* caliditas ſemper mala eſt; de hujuſmodi caliditate ſtimulante ſequentia auctoris Prorrhet. intelligenda,

'Æſtuoſi rigores quadantenus perniciosi, &c.' Thoracis vel abdominis caliditas dolorifica ſemper fere funeſta; nam morbi magni et lethalis ſignum eſt *, perquam eleganter poeta effectus hujuſmodi caloris vehementis deſcribit:

Intima pars homini vero flagrabat ad oſſa:
Flagrabat ſtomacho flamma, ut fornacibus, intus,
Nil adeo poſſet cuiquam leve, tenueque membris
Vertere in utilitatem: Ad ventum et frigora ſemper,
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
Multi praecipites lymphis putealibus alte
Inciderunt, ipſo venientes ore patente.

Lucret. Lib. vi.

Vis ſtimulantis ſtatus etiam ex *cauſa* peculiari intelligi poſſit, quae in febribus ex *ſyſtematis reactione* fere ſemper oritur, quae, ſi debilitati excutiendae aequalis ſemper erat, ſalutaris eſſet; ſed interdum major interdum minor eſt; in his caſibus vires medicatrices *ſpaſmum* ſyſtematis ſtimulum naturalem producunt; nunc igitur dicendum eſt, vim ſtimulantem ſecundum vigorem ſpaſmi eſſe, vaſa extrema praecipue a ſpaſmo afficiuntur, ut ex

* Quaedam ad hanc rem habet Galenus, in lib. ii. de ration. vict. in acutis, et in lib. i. prognoſt.

ex arida cute, calore aucto paroxyſmum febrium calidum comitante, apparet.

*Linguae etiam ariditas* ſpaſmi ſtatum monſtrat; hujus autem ariditatis cauſa eſt muci ſecretio imminuta ex conſtrictione excretoriorum; ſaliva, mucus, et omnis humor qui partes tenuiores exhalare poteſt, ſedimentum craſſum ſemper relinquerant: Integra ſanitate, humoribus integris, calore non aucto, nulla arteriarum conſtrictione, hujuſmodi ſedimentum eſt tenue, et ſemper humidum; ſed in febribus craſſum, aridum, et ſaepe nigrum, et non ſolum linguae, ſed etiam faucibus dentibuſque, adhaeret. Niger tamen color in febribus ad putredinem vergentibus praecipue apparet; ſed tamen in aliis febribus per longum tempus durantibus non raro; dicit graviſſimus auctor *, hunc colorem ignearum ſeu ardentium febrium cum ſummo ſqualore eſſe proprium, perpetuoque non parum timendum, omniumque maxime, ſi una adfuerint ſigna alia pernicioſa. Solet itidem ardentes peſtilentes detegere; in eadem ſententia eſt Hippocrates †, 'Periculoſiſſimam eſſe linguam nigram et pallidam;' et iterum,

* Proſp. Alpin. lib. v. cap. 9.

† In Coac. praeſag. § 2.

rum, ‘ nigro vero in iis facto colore, mortem denunciant.’ Lingua ſicca, inaequalis, dura, horrida, exaſperata, et rupta, peſſima eſt. Tales ab Hippocrate in iiſdem Coacis optime deſcribuntur: ‘ Lingua, quae in principio quidem inhorruit, in colore vero permanet; progreſſu autem temporis exaſperatur, liveſcit, et rumpitur, lethalis eſt.’ Sed quomodocunque haec ſint, certum eſt ſigna linguae fauciumve ſpaſmi modum exprimere.

Aliud ſymptoma ſpaſmi et interdum caloris eſt *ſitis vehemens et praeter naturam*; ſed utcunque ſpectata vim ſtimulantem ſignificat; aliae etiam cauſae ſitis ſunt obſervatione dignae; omnis acrimonia in ſanguine ſitim producit, ut ita diluta noxam nullam corpori producat. Sitis vero immoderata in febribus acutis ſemper fere mala, et una cum aliis ſignis malis aleae, et periculi plena. Hippocrates * aegrum tali ſtatu laborantem verbis aptiſſimis ante oculos noſtros ponit: ‘ Tremores autem in manibus fiebant, et caput concutiebat, et oculorum intuitus pravi, et *ſitis fortis*, et cum potaſſet, rurſum petebat, et *rapiebat*, ac largiter bibebat; *avellere autem non poterant*, lingua ſicca,

* In lib. vii. Epidem. com. 3.

ſicca, et manus ambas in os ferens manducabat, cum eſſet tremula.'

> Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
> Æquabat multum parvis humoribus imbrem.
>
> Lucret. lib. vi.

Aliud ſpaſmi ſignum eſt *aliarum ſecretionum imminutio*; quae varie apparet, perſpirationis inviſibilis, et urinae imminutione: Spaſmus enim non ſolum in externis, verum etiam in internis partibus obtinet; ideoque alia ſigna ex ſecretionibus internis petuntur; *alvus aſtricta* indicium peculiare vis ſtimulantis ſemper aeſtimatur.

Alterum ſignum eſt *ſanguinis extravaſati ſtatus*: Sed de hac re multae difficultatis et dubitationis cauſae ſe oſtendunt, et his immorari nunc non poſſumus; qui vero huic quaeſtioni curam impendere cupiat, in ſcriptis virorum celebrium *De Haen* et *Hewſon* multa utilia inveniet. Sufficiat nobis in praeſentia dicere, ſanguinis ex vaſis detracti ſuperficiem coriaceam ſeu inflammatoriam vis ſtimulantis manifeſtiſſimum ſignum eſſe.

Hic etiam memorandus *dolor capitis*, qui a pleriſque in initio febrium ad ſtimulum refertur.

> Principio caput incenſum fervore gerebant.

Hunc

Hunc dolorem antiqui ſignum appropinquantis phrenitidis habebant. Ita Gal. in 5. de loc. affect. et ex mente Hippoc. in 3. progn. capitis, in febribus continuis dolor vehemens et aſſiduus delirium praeſagit; ſed de hoc ſymptomate non minima eſt ambiguitas, quia interdum cum pulſu languido, et facie pallida, et in typho, ubi impetus laevis, evenit; ſed tamen quoties calore, facie rubra, lucis et ſoni intollerantia ſtipatur, ex impetu ſanguinis in caput manifeſte oritur, et ſignum vis ſtimulantis aeſtimandus eſt.

Ordinis ratione neceſſarium erat omnia haec ſigna vis ſtimulantis ſigillatim conſiderare; ſed judicium noſtrum ex plurimis conjunctis ſtabiliendum eſt; huic conducit omnia ſigna ſupra explicata breviter recenſere; haec autem ſunt, vigilia, jactatio, pulſus velox, frequens, validus, et durus, calor auctus, et alia ſpaſmi ſigna; lingua ſordida atque arida; ſitis praeter naturam, alvus aſtricta; denique, cruſta ſanguinis coriacea. Si omnia haec vel eorum plurima in febre appareant, certum eſt vim ſtimulantem in aegroto praevalere; haec autem nimia ſtimulans vis, violenta excitatione ſaepius iterata, et debilitatem inducente, periculoſa eſt. Sed hujuſmodi actione aucta per ſyſtema univerſum manente, raro per ſe fatalis eſt; et ſi ad nul-

lam

lam partem nobiliorem determinata, facile plerumque medicabilis, et univerſaliter in febre minus periculoſa eſt quam debilitas.

Vis in febribus ſtimulantis in *partes determinatio* varias *phlegmaſias* efficit; de quibus nunc non differendum. Verum quidem eſt, in ſectionibus cadaverum a hujuſmodi febribus mortuorum, inflammationem et gangraenam in variis viſceribus interdum inveniri, quamvis vita durante ſymptomata peculiaria talium inflammationum nuſquam apparebant, et in prognoſi condenda hujuſmodi inflammationum occultarum ſigna inveſtiganda eſſe; ſed ſi in tali diſſertatione haec omnia tractarem, extra fines duceret; igitur alia ſigna mortis in febre *pura* attingamus.

SECT.

## SECT. III.

### *Debilitatis, ſeu Vis ſedantis, Signa in Febribus.*

STIMULANS vis, cum aliis cauſis conjuncta, mortem inferre poteſt: Sed vis de qua nunc agere inſtitutum eſt, in febribus ante omnes mortifera; ideoque ex ea praeſagium mortis in febribus praecipue petendum eſt. Debilitas in febre ſine dubio maxime praevalet, et tantum dubitatur utrum ejus cauſa vel effectus eſt, quodam nomine ut effectus intueri poſſit; ſed debilitatem plerumque aliis omnibus ſymptomatibus priorem eſſe, ſatis conſtat ex *miaſmatis* et *contagii* effectibus, quae noſtris corporibus ſedantia forſitan ſunt, et ſaepiſſime omnia debilitatis ſigna ante reactionem morbi etiam initio producunt.

Signa debilitatis nunc ſigillatim contemplanda ſunt; proinde ut ex animali, vitali, et naturali facultate oriantur.

*Motus voluntarii laeſi* apparent, 1. Vigore imminuto; 2. Motus inaequalitate, et intervallis, et vi.

1. *Vigore imminuto.* 1. *Laſſitudo* eſt inter prima ſigna febris. Primo aeger difficultatem ſtando vel ambulando ſentitur, et diſcumbere ei neceſſarium eſt; et protinus recumbere ubi pauciores muſculi intenduntur, tandem decubitus in latus moleſtus eſt, et tergo quieſcit; ſed etiam in hoc ſitu muſculi pauci agunt, et in debilitatis progreſſu aeger in lecto prolabitur, vel genua ſe ſuſtinendi cauſa protendit: Sed interdum id etiam extra vires eſt, et membra, ut cadaveris, ex lecto prona jacent; haec confirmant multa in Hyppocrate, et aliis antiquis. ‘At gravitas totius corporis et manuum ac pedum mala eſt *.’ ‘Si vero proclivior eſt, ac deorſum delabitur ſubinde ad pedes, majore cum periculo eſt †;’ et diſerte Galenus ‡, ‘Scito igitur nunc dejectionem appellari, cum quis modo *hominis viventis* decumbere non poteſt, ſed tanquam *mortuum inanimumque corpus* deorſum fertur.’ Multa alia antiquorum teſtimonia adducere poſſum; ſed haec ſufficiant.

F † Debilitas

* In coac. praeſag. text. 493.

† Hippoc. in 1. progn.

‡ Lib. 1. de humorib.

Debilitas etiam ex aſpectu *vultus* et *oculorum* judicari poſſit, faciei muſculi varie ex variis animi paſſionibus aguntur et evolvuntur, in ſanitate mira alacritate et vivacitate praediti. Igitur eorum *flacciditas* in febribus peſſimum ſignum eſt. Hippocrates * ſcribit, ‘ Conſiderari convenit hunc in modum per morbos acutos principio vultum aegroti, ſitne ſimilis bene valentium, potiſſimum ſui, ita enim optimus erit; ſi vero quam maxime contrarius ſimili ſit, exitioſiſſimus eſt;’ et Galenus in comm. Hippocrati ſuo aſſentit.

In motu veloci, alacri, et vivida *oculorum*, in eorum ſplendore, bono colore, &c. ſanitas maxime apparet; ideoque contraria conditio debilitatis et morbi non parvum indicium eſt. Praeſagia ex oculis apud antiquos celebrantur †, ‘ in febre non intermittente, ſi vel non audiat, vel non videat, jam debili exiſtente corpore, mors proxima eſt ‡.’ ‘ Oculi audacia, delirii ſignum eſt; et dejectio, et fractio malum §.’ Et ex innumeris aliis veterum

* Lib. 1. progn.

† Vid. Hippoc. lib. 3. Epid. aegr. 3. Coac. praeſag. lib. 3. ‘ Qui in febre continua muti jacent oculis conniventibus,’ &c. Prognoſt. 1. ‘ Si enim lucem effugiant;’ et ſequentia.

‡ Lib. 4. Aph. 49.

§ In 6. Epid. ſect. 1.

rum locis conſtat, hoc ſignum ſummi ponderis eſſe. Et inter recentiores plura de ejus praeſtantia apud illuſt. Lind videnda.

*Motus irregulares* debilitatem quam maxime patefaciunt; hinc *tremores* in motibus voluntariis, in febre caſtrenſi, et aliis typhi ſpeciebus, quam maxime malignis, conſpicui. Quando lingua iiſdem tremulis motibus afficitur, majoris debilitatis indicium eſt. 'Jure igitur optimo, dicit Galenus *, tremorem ex virium infirmitate perpetuo fieri demonſtravimus.' Idem in alio loco † 'tremor igitur linguae accedit, debilitata animi facultate;' praeſagium funeſtum ex tremore etiam illuxit in ſene de quo Hippoc. cujus eodem tempore extrema frigida erant. Sequentia etiam Hippoc. in eodem libro ad hoc reſpiciunt ‡, 'incipientibus veluti ſubtremuli, et digiti et labia cum loquerentur, itidemque aliae partes.'

Denique, *ſpaſmus* in muſculis diverſis debilitatis in facultate motrice ſignum eſt. In muſculis ad velocem et vividum motum aptis, ut oculorum, praecipue apparet. Ob hanc cauſam oculi interdum fixi et immobiles videntur, interdum palpebrarum

* In comm. de Trem. convulſ, et rig.

† 1. Prorrhet. text. 19.

‡ Lib. 4. Epid.

brarum et oculi globi motus non congruunt. Signa oculorum mala praecipua luculenter nobis dedit medicinae antiquae princeps *. Oculus ſtupidus debilitatis praecipuum ſymptoma eſt. Auctor Prorrhet. nos docet † 'Hebetatus oculus, vitiatuſque, et concretus, immobiliſque, et tenebroſus ſi fuerit, malum;' et recte; nam in febribus fere ſemper lethale, niſi ex cauſa aliqua critica oriatur. Hoc ſymptoma exitiale obſervabatur ab Hippoc. ‡ de virgine illa pulchra Nerei quae

——— 'merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem.'— — VIRG. ÆNEID.

Multa alia de oculorum in febre ſignis ex antiquorum ſcriniis proferre poſſem; ſed brevitas operis non ſinit.

Ex eadem debilitate maxillae inferioris muſculi ſpaſmo afficiuntur. Hinc *triſmi* ſpecies vel *ſtridoris dentium* in febribus interdum occurrens. Plurimi alii muſculi convulſionibus momentaneis afficiuntur, et ut *carpum* praecipue obſervamus: Hinc *ſubſultus tendinum*; convulſio manuum ac peduum ab Hyppoc. § in Eraclitis uxore obſervata

* Prognoſt. text. 35. Aph. 4. 49. antea citato.

† Lib. i. 46.

‡ Epidem. lib. 5.

§ Epid. vii. 108.

ſervata hujuſmodi fuiſſe videtur; eoque etiam perverſiones in aphor. 4. 49. obſervatae.

*Senſorii communis functiones* etiam ex animali facultate pendent; harum ſtatus ſaepiſſime debilitate febrili afficitur; ideoque primo,

*Languor* tandemque *deſperatio*, in febrium funeſtiſſimarum initio, ſaepe apparent, et ſignum quam maxime mortiferum praebent; de animi pathematum origine et cauſis non eſt locus diſſerendi; tantum obſervandum eſt, ea debilitati vel vigori in ſenſorio communi quam maxime congruere.

Haec deſperatio, omnis ſpei ab initio abjectio, et fatalis eventus timor in peſſimis febribus typhi generis maxime inſignis eſt. Poeta philoſophicus *Lucretius*, in elegantiſſima ſua peſtis celebris *Athenienſis* deſcriptione, hoc ſymptoma ita memorat.

Atque animi prorſum vires totius, et omne
Languebat corpus, lethi jam limine in ipſo;
Intolerabilibuſque malis erat anxius anguor
Aſſidue comes, et gemitu commiſta quaerela.

Et poſtea,

Perturbata animi mens in maerore, metuque;
Triſte ſupercilium.———

Illud in his rebus miſerandum et magnopere unum
Ærumnabile erat; quod, ubi ſe quiſque videbat

Implici-

Implicitum morbo, morti damnatus ut eſſet,
Deficiens animo moeſto cum corde jacebat
Funera reſpectans, animam et mittebat ibidem :
Idque vel in primis cumulabat funere funus.

Lucret. Lib. vi.

*Senſus interni* plurimum turbati plerumque in febre ſunt; id oſtendit *idearum confuſio*, *memoriae laeſio*, et hinc *conſociationis uſitatae* perturbatio; talia igitur animi turbati prima ſigna: Poſtea ſomnus inſomniis turbatus; inſomnia et deliria in multis conveniunt; prior poſteriorem proxime advenientem ſaepe monſtrat; animi tamen inconſtantia manente, *delirium* manifeſtum eſt, quod, uti inſomnium, ex cerebri inaequali excitatione vel collapſu oritur; ſed in debilitate ſemper ex poſteriore; furor nullus, nulla ira, ſed tantum placida imaginationis ſermoniſque inconſtantia et mutabilitas, nulla corporis agitatio; inquietudo nulla, ſed primo ſomnolentia quaedam, ex qua tamen aegrotus facile excitari poſſit, amicorum et rerum uſitatarum conſpectu, tandem vero memoria labefacta his abigi non poteſt.

Delirium igitur hujuſmodi a pathologis *mite* nominatum, in ſummo gradu eſt quando aeger, conſociationis uſitatae immemor, ſuum lectum, cubiculum ſuum, conſanguineos, amicos, et fami-

familiares ſuos ignorat. Tales delirantes, Galeno teſte *, nedum tumultuoſe non exclamant, non exſiliunt, ſed quieti quinimo jacent, &c. Et in Prorrh. tales deſipientiae vocantur, 'tremulae, obſcurae, contractabiles:' Ejuſdem generis ſignum eſt *pudoris* et *verecundiae naturalis* in quibuſdam functionibus amiſſio, uti foeces urinamve in lectis expellere, ita aliqui cum vas ad mingendum tenuerint, mingere in eo non recordantur, ſed in lecto mingunt. Haec plerumque memoriae amiſſionis ſigna ſunt, quamvis ex muſculorum ſphincterum paralyſi interdum oriuntur. Huc reſpiciunt Hippoc. † ſequentia: 'Deliria circa neceſſaria, peſſima; quae ex his exacerbantur, lethalia ſunt.'

*Somni* atque *vigiliarum* doctrina in quibuſdam obſcura eſt. Sufficiat hic dicere, ſomnum ex facultatis animalis collapſu pendere; igitur ad ſomnum magna inclinatio excitationis cerebri imminutae, ideoque debilitatis ſignum eſt. Sed quando nec advenit ſomnus, et aeger cito excitatur, potius *Typhomaniae* nomine venit, quae irritationem conjunctam indicat.

*Coma*

* Lib. 1. Prorrhet. 33.

† In Coac. Praeſag. 3.

*Coma* ejuſdem generis ſignum, ſed minus periculoſum, niſi jam provecto morbo. De his omnibus obſervandum quod dicit Hippocrates *, 'Somnus atque vigilia utraque, ſi naturae modum exceſſerint, malum.' 'In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale †.' Mali omnes ſomni, ut recte obſervat Galen. in comm. haberi debent, qui nihil juvant, et omnium maxime qui evidenter laedunt, ut plenius Galenus in loco citato.

*Senſus ſitis ſublatus* in hoc loco memorandus; ſemper in febribus aegrotantes moderate ſitire bonum; ſitis enim febrem fere perpetuo comitatur. Sed quamvis plerumque calor et ariditas in ore et faucibus, cum putredine in ventriculo, cauſae ſitis manifeſtae, adſunt; ex debilitate tamen ſenſorii communis mens eam non ſentit; hinc Hippocrates ‡, 'Sitis quae non ex ratione in acutis morbis ſolvitur, mala eſt.' Funeſtiſſimum hoc eſt ſignum, praeſertim ſi alia exitialia ſigna una apparuerint. In hanc ſententiam optime ſe exprimit Galenus ||, 'Huc acceſſit ad cumulum aliud ſignum

* 2. Aphor. 3.

† 2. Aphor. 1.

‡ Prorrh. i. 57.

|| Lib. i. Epidem. com. 2

ſignum exitioſum, quod cum antea aeſtuaſſent, *amplius non ſitirent*; atqui quando, qui antea *ſi ti flagrarent*, poſtea eſſent a *ſiti liberi*; horum duorum ſit neceſſe eſt alterutrum, aut morbi ſolutio, aut virtutis extinctio, ita ut praeſentia mala amplius non ſentiant; at non contingit a morbis his vindicari, ſiquidem exitialia erant ſymptomata.' Hunc ſtatum morbi Hippocrates eleganter pinxit in hiſtoria Hermocratis, 3. Epidem.* ubi inter alia ſequentia obſervat, 'Lingua initio aduſta fuit, ſomnum non habuit; vigeſimo perpetuo a cibo abhorrebat, omnino mente conſtabat, loqui non valebat, lingua inaruit, *non ſitiebat*, obdormiſcebat aliquantiſper comatoſus.'

*Viſus Defectio*, in febribus, eſt aliud vis debilitantis ſymptoma mortiferum; ut enim nullum ſenſus inſtrumentum eſt magis perfectum, ac exquiſite delicatum; nemo vitium in eo eſſe hoc caſu exiſtimat. Hoc ſignum ab Hippocrate, in Aphor. †, et etiam in Coacis memoratur, 'Jam labaſcentibus viribus, ſiquidem aeger *non videat*, aut non audiat, vel a labro, *oculo*, nare, diſtorqueatur, *lethale*;' funeſtiſſimum vero apparet, poſt criticam exacerbationem, aegrum non videre, vel

 tenebras

* Com. i. Ægrot. 2.

† Aphor. iv. 49.

tenebras, vel caliginem ante oculos verſari, aut affundi ſplendores aliquos, aut eum lucem ferre non poſſe.

Et duplices oculos ſuffuſa luce rubentes.
De Nat. rer. Lib. 6.

Aliquando tamen ſine dubio ex vitio inſtrumentorum fit viſus vitioſus, perturbatus, tenebroſus, quamvis ex ſtatu ſenſorii communis oriri videatur: Sed multa ſuadent, ex ſtatu inſtrumenti pendere interdum, aeque ac ex collapſu ſenſorii communis. Ita multa loca parva obfuſcari in omnibus corporibus viciniſ ex collapſu partiali nervorum opticorum oriri videtur; hoc fundamento nititur obſervatiſſimum illud mortis ſignum,

*Floccorum collectio*, et ab antiquis, et a recentioribus, ſaepiſſime memoratum. Diſertiſſime Hippocrates *, ' de geſticulatione manuum haec cognoſcere oportet, qui in *febre acuta*, aut phrenitide, aut pulmonia, &c. manus ob os fert, aut fruſtra venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte evellit pilos, aut de pariete ſtipulas carpit, id omne malum exitialeque eſt.' Talis deſipientia Galeno etiam fatalis viſa, ut ex multis in

* 2. progn. 23.

in ejus ſcriptis locis colligi poſſit. Hujus ſtatus deſcriptio tam exquiſita a Coo noſtro in hiſtoria uxoris Dealcis datur, ut eam hic referre abſtinere non poſſum. ' Ab initio co-operiebatur, et perpetuo tacita ſemper, villos ſtraguli captabat, vellebatque, et ſcalpebat, plorabat, moxque ridebat, non dormiebat †.'

Viſus defectio inter ſigna mortis appropinquantis obſervatur; tum enim, extincta fere animali facultate, aliarum omnium facultatum actiones cito extinguuntur.

*Ad vitalis facultatis functiones* nunc progrediamur. *Cordis et arteriarum* actio in omnibus febribus debilitate ſubnixis maxime debilis eſt. Hujus debilitatis ſignum eſt *ſyncope* vel *animi deliquium*, quod ex deficiente cerebri in *cor* vi oritur; nam praecipue apparet quando corpus erigitur.

Syncope autem non ſemper adeſt; igitur de debilitate actionis cordis atque arteriarum, praecipue ex *pulſu*, judicamus. Pulſus debilis frequens, et inaequalis, ſemper debilitatis ſignum eſt. Si enim cordis actio debilis ſit, ejus ventriculi non deplentur, ideoque cor ad novam contractionem citius ſtimulatur. Omnis muſculi actio

† Lib. 3. epidem. com. 3. aegr, 15.

actio ex debilitate inaequalis fit, et inter alios cordis.

*Pulſus tardus* a quibuſdam in febribus ex debilitate obſervatur; ſed raro occurrit, teſtibus praeſtantiſſimis medicis, niſi quando *coma* praeſens eſt; et tum debilitatem ſignificat, ſed minus periculoſam.

*Calor corporis* vigorem circulationis oſtendit, ideoque calor auctus inter ſigna vis ſtimulantis memoratur. Calor plerumque febrem comitatur; in quibuſdam tamen abeſt, vel ſaltem minor eſt, et typhum deſignat, quo in morbo quam maxime pollet debilitas; ubi igitur calor corporis non eſt pro ratione pulſus frequentiae debilitatem monſtrat.

Calor auctus linguam aridam efficit; ideo *lingua humida* in febre debilitatem et febrem typhum notat.

*Senſus frigoris* eſt aliud debilitatis ſignum; circuitus enim imminuti indicium eſt. In initio febrium frigoris, ſine horrore, tremore, aut rigore, ſenſus, vim maxime ſedantem in cauſa monſtrat; horror enim, tremor, et rigor reactionis validae ſigna manifeſta ſunt. Sed poſt morbum aliquamdiu progreſſum, nulla ambiguitas. In partibus extremis et prominentibus frigus ut debilitatae

bilitatae cordis actionis ſignum, et praeſagium maxime exitiale, ab antiquis memoratur. Ex multis quae dare poſſem, ſequentes obſervationes et exempla, ex eorum operibus, capiat lector. Hippocrates de Philiſco lethaliter aegro ita ſcribit: '*Extremitates* undiquaque *frigebant*, nec jam ad calorem amplius redibant *,' quod multis aegris ſuis ante mortem contigiſſe, in libris epidem. nos docet. Cum extremarum partium frigiditate lividitas conjuncta peſſimum eſt. Ut Cous in Philiſco, Sileno, Eraſino, et aliis aegris moribundis, obſervavit. Alia ſigna exitialia cum hoc ſemper apparent. De Pythone in Thaſo mortuo decem diebus ita ſcriptum: 'Altero die ſub meridiem *extremae partes frigebant*, praeter caeteras, manus et caput, obmutuit, voce defectus eſt, diu brevi ſpirans,' &c. †. Peculiares quaſdam obſervationes de facie pallida, de frigiditate in naſo, auribus, &c. inſtituti noſtri brevitas recenſere vetat.

Ad debilitatem etiam pertinet vaſorum rubrorum in tunica conjunctiva *abſentia*, et muſculorum faciei collapſus. Faciei turgiditas a vaſorum pleni-

* Lib. 1. epidem.

† Lib. 3. epidem.

nitudine pendet. In animi igitur deliquio facies in omni parte labaſcit, et facies *Hippocratica* vulgo dicitur, ob multas *Coi illius magni* de ea obſervationes. Quarum una diſertiſſima hic apponenda; in ea enim, quaſi *tabula picta*, aegrum jamjam moriturum ante oculos noſtros ponit: ‘ Naſus eſt acutus, cavi oculi, adſtricta tempora, aures frigidae contractaeque, et fibrae earum verſae, et item cutis circa frontem dura, intenta, arida, et color totius vultus viridis, aut niger, aut lividus, aut plumbeus *.’ Facies hujuſmodi *cadaveroſa* merito vocatur.

Huic ſigno conjungendus eſt *ſudor frigidus*, praecipue circa caput et collum. De aegrotis in febre peſtilenti dicitur,

> Sudoriſque madens per collum ſplendidus humor,
>
> De nat. rer.

Ex experientia ſcimus, hocce ſignum debilitatem notare; ſed qui fit, non tam facile explicatur, niſi ex vaſorum ſanguiferorum relaxatione oriatur; hujuſmodi ſudores, ſeu *deſudationes*, ut a quibuſdam vocantur, aegrum nihil allevant, ſed fere ſemper exitiales ſunt. De hoc ſigno antiquorum teſtimonia innumera,

* 1. prognoſ.

innumera, pauca tantum ad ſtabiliendum ex eo praeſagium utilia, hic citanda. Merito dicit Hippocrates in Prognoſt. ‘ Peſſimi vero, qui *frigidi* ſunt, et qui circa caput tantummodo eveniunt, vultum et cervicem. Hi enim cum acuta febre, mortem; cum mitiore, morbi longitudinem, indicant.’ Et in poſtrema conſtitutione peſtilenti, cujus nobis dedit hiſtoriam, hoc ſymptoma in multis aegris moribundis obſervabatur; in Philiſco *, ‘ quintum ſub diem obmutuit, *frigida ſudavit*; extremae partes liveſcebant; die ſexto ad meridiem eſt defunctus.’ In uxore Dromeadae † ‘ *extrema membra frigida*, toto tempore *ſudavit*, deliravit, ſpiritus magnus, rarus, paulo poſt convulſiones a capite coeperunt, ſubito obiit.’ Talis ſudor alia prava ſigna ſequens certiſſimi exitii indicium eſt. Talis fuit uxoris Olympiadae, cujus hiſtoriam Cous in Epidem. 7. enarrat, ‘ Vox non ſolvebatur, neque ipſa quicquam allevabatur, oculi triſtes, ſpiritus ſublimis, qui per nares trahebatur, color pravus, *ſudor circa pedes et crura*, cum jam circa mortem eſſet.’

Sedantis vis effectus in ſtatu *reſpirationis* saepiſſime apparet; reſpiratio parva, frequens, et cum labore,

* Lib. 1. epidem. aegrot. i.

† Lib. 1. epidem. aegrot. xi.

labore, debilitatis ſignum eſt; non tamen ſine ambiguitate; nam idem ſymptoma, ob ſanguinis circuitum difficilem, ex *obſtructione* in *pulmonibus* oriri poſſit. Sed quum alia obſtructionis ſigna abſint, debilitati tribuendum eſt; ratio et modus hujus ſymptomatis ex *doctrina reſpirationis* petenda eſt, et hic praetermittenda, quia explicationem in praeſentia nimis longam requirit. Hippocrat. plus huic ſymptomati in praeſagiis ſuis, quam pulſui, tribuiſſe videtur. Ita * dicit, 'Spirationis autem facilitatem exiſtimari oportet perquam magnam vim habere ad ſalutem in omnibus morbis acutis.' Et in eadem ſententia eſt Galenus, in Comment. ſuo, 'Bona reſpiratio thoracem, cor, et omnes alias partes ſervientes reſpirationi, recte valere demonſtret,' &c.

Reſpiratio quae vocatur *ſublimis* extremae debilitatis plerumque ſignum eſt, et una cum aliis malis ſignis fatalem eventum denunciat. Exempla in uxore Olymp. nunc memorata, et in Ariſtocrate moribundo, 'Ad noctem *ſpiritus ſublimis* eſt factus, ſudor exiguus circa frontem, infernae

'partes

* 1. Prognoſt.

partes frigidae, anxius *.' Interdum tamen *ob-ſtructio pulmonum* et debilitas conjunguntur.

Aliud ſymptoma hic obſervandum eſt, *vocis et loquelae* ſtatus. Vox a muſculis glottidis pendet, et ea ratione ad animalem facultatem pertinet; ſed ut cum reſpiratione connexa hujus loci eſſe videtur. In morbis vox minuitur, aut vitiatur, aut prorſus tollitur: Omnes autem voces vitiatae in febribus ſemper malae ſunt, et ſummum vitae diſcrimen minantur. Hinc Hippoc. in Coac. praeſag. † 'acuta vox et lugubris, et oculorum obſcuratio, &c.' Ibi enim vocem debilem et acutam inter mala ſigna recenſet. Vocem imminutam ſignum ſummae debilitatis eſſe, omnibus fere notum. In *aphonia* tandem deſinit, quae fati imminentis certiſſimum indicium, praecipue cum aliis ſignis funeſtis. In Coacis dicitur, 'Quibus *vox* in *febre intercepta* ſine judicatione, cum tremore moriuntur.' Et, in alio loco ‡, ſcribit Hippoc. 'Quae cum *exſolutione* fiunt *aphoniae* peſſimae.' Exſolutione hic intelligit Hippoc. facultatem animalem ac vitalem reſolutam vel maxime languentem; ideoque

H mor-

* Lib. 7. epidem.

† Text. 257.

‡ Prophet. 1. 24.

mortem inſtare. Exempla ſunt in Hippoc. et aliis paſſim * ; hujuſmodi ſtatum eleganter pinxit Hippoc. in hiſtoria Pythionis in 3. epidem. praecipue in fine hiſtoriae : ‘ Octavo frixit, *voxque eum defecit*, ſpiritus exilis et imminutus, et decimo mane *ſine voce*, multum frigus, febris acuta, multus ſudor, obiit.’ Hujus tamen ſymptomatis ratio vix in promptu eſt ; ſed veriſimile videtur quoſdam minutos et delicatos motus ex quibus vox pendet debilitate affici. Sed ad ſigna vis debilitantis ex facultate naturali petenda veniamus.

Signorum ex functionibus naturalibus accurata cognitio ad prognoſin in febribus condendam eſt maxime utilis, praecipue cum excretiones ad praeſagium in aegrotis plurimum facientes ad naturalem facultatem attinent, quam nunc aggrediamur, ab appetentiae et ventriculi ſtatu incipientes.

Debilitas *ventriculi* apparet in *anorexia*, *nauſea*, et *vomitu* ; ex ſtatu corporis ſuperficiei a ſpaſmo affectae pendet, ut in doctrina cauſae proximae febrium optime atque dilucide explicatur ab illuſtr. uſus medicinae Prof. noſtro.

Nauſeam

* 1. Epidem. aegr. 4. lib. iii. ejuſdem operis aegr. 4. Ibidem aegr. 2. et aegr. 14.

Nauſeam et vomitum contenta quaedam ventriculi interdum producunt; ſed tum etiam res ad debilitatem redit; igitur vomitus febrium peſſimarum ex debilitate orientium fere ſemper ſymptoma eſt; ciborum appetentia ſublata in febribus eſt malum, ut Galenus nos docet, 'faſtidium cibi per ſe ipſum pravum eſt ſignum,* &c.' et Hippocr. de aegris quibuſdam in epidemica conſtitutione mortuis, 'cibos quoſvis perpetuo faſtidiebant, non ſitiebant †.' Idem fere accidit in Euryanactis filia, 'quoſvis cibus toto hoc tempore faſtidivit, neque appetivit quicquam, neque ſitiit, etſi acri et calida deſtillatione vexaretur ‡.'

Diverſarum ſecretionum ſtatus in febribus non facile obſervatur; verum eſt quidem multa de vomitibus, alvi dejectionibus, atque urinis bonis et malis, in antiquorum ſcriptis inveniri poſſe; ſed ut fundamento potius incerto nituntur, hic praetermittenda ſunt. In proxima ſect. de vi ſeptica quaedam praeſagia ex his excretionibus capienda ſunt; ad nutritionem quod attinet, tempus ad mutationem in ea vix ſufficit.

Debilitas

* Gal. lib. vi. aph. 6.

† Hippoc. lib. i. epidem. com. 1

‡ 3. Epidem, ſect, i.

Debilitas interdum apparet in *deglutitione* amiſſa vel imminuta; illud tamen ſymptoma ex locali affectione vel paralyſi oriri poteſt.

Apparet etiam debilitas in *veſica urinaria* et *inteſtino recto*; excretiones foecum alvinarum vel urinae involuntariae debilitatem manifeſte produnt; ambiguitas quaedam eſt in ſtatu comatoſo, ubi hoc ſymptoma non ex inſtrumentorum debilitate, ſed ex memoria laeſa, pendet. Sed in priore caſu foecum et urinae excretiones involuntariae continuae vel frequentes exquiſitae debilitatis indicia ſunt. Hoc ſenſu Hippoc. * 'Lethale eſt etiam quodcunque ſine ſenſu exit.' Si ex delirio, ſeu mentis alienatione, oriatur hoc ſymptoma, minus eſt periculoſum quam ſi, mente ſana et non omnino errante, ab extincto contingat ſenſu earum partium per quas excretio fieri debet; alienata enim mens revocari poteſt, ſentiendi autem facultas nunquam.

Quod antea dictum de vis ſtimulantis ſignis, nunc dicendum de indiciis vis ſedantis, non ex uno vel altero ſymptomate, ſed ex multorum concurſu, non ex debilitate in una vel altera functione, ſed ex ea quae ſyſtema univerſum inquinare et peſſumdare videtur, judicium docti et prudentis medici capiendum eſſe.

SECT.

* Coac. praeſag. cap. de deject.

## SECT. IV.

*Irritationis et Debilitatis conjunctae ſigna.*

QUAEDAM ſunt ſigna quae ſuſpicionem hujuſmodi conjunctionis praecipue creant; ea breviter memorare hujus loci eſt: Talis irritatio ſaepe in *cerebro* apparet, et topicas inflammationes occultas ſignificat, quales poſt mortem ſaepe inveniuntur, quamvis ſigna inflammationis vulgata antea non apparuiſſent. Hic obſervandum, *diatheſin phlogiſticam* eſſe interdum *topicam* et maxime periculoſam, quum adverſus partes ad vitam neceſſarias dirigitur.

Signum talis affectionis in *cerebro* eſt lucis et ſoni intolerantia, quum eodem tempore impetus ſanguinis in ſyſtemate univerſo non videtur auctus. Ratio videtur incerta, ſed forſitan ex diatheſi phlogiſtica in parte et tono vaſorum aucto peti poteſt. Sed lux praecipua irritatio in hoc caſu videtur, et non impetus ſanguinis in vaſis oculorum.

Ejuſdem

Ejuſdem generis aliud ſymptoma eſt. *Vaſa rubra* innumera in *oculi tunica conjunctiva* viſa, cum nulla alia ſigna inflammationis apparent.

Tertium ex irritabilitate et debilitate ſignum eſt.

*Somnus turbatus*, in quo aegroti dormiunt, vigilant, delirantque, ex irritatione quadam in cerebro pendens.

*Coma vigil* et *typhomania* eodem referenda. Pejus vero ſignum eſt, et ſaepe hujus generis, *vigilia continua*, praecipue cum jactatione et anxietate conjuncta, doloris moleſtiaeque indicium eſt ; nulla enim anxietatis cauſa magis pollet ad producendam hujuſmodi jactationem quam cerebri irritatio.

Poſtremum denique ſignum irritationis et ſtimuli eſt

*Delirium certi generis :* Delirium mite inter ſigna debilitatis jamdudum contemplati ſumus ; ſed aliud delirium ex conjunctione quadam irritationis atque ſtimuli oritur, ideoque hoc in loco conſiderandum venit. Tale delirium eſt *mite* cum quibuſdam irritationis ſignis, ut agitatione, jactatione, impatientia ex lecto proſilire, &c. ſtipatum. Irritationis in cerebro non minimae certiſſimum indicium eſt.

Huic

Huic ſigno jungere liceat omnes *motus convulſivos* et *ſpaſmodicos*, qui nedum debilitatis, ut antea dictum, verum etiam irritationis in *genere nervoſo*, ſigna ſunt.

*Pulſus* frequens, parvus, durus, et contractus eundem ſtatum indicat; ex debili actione cordis ejuſdem contractio frequens, et evacuatio imperfecta oritur, et ob eandem cauſam pulſus durus, quamvis ſigna inflammationis non manifeſta ſunt; forſitan ſtatus irritationis et ſtimuli nullum indicium hujuſmodi pulſu magis manifeſtum.

Denique, ex *excretionibus* dignoſcitur hic ſtatus; *urinam* tantum obſervare nobis facile licet: Hic urina tenuis, decolor, ſubito limpida, ab antiquis medicis, praecipue Hippocrate, ut ſignum phrenitidis obſervata, conſideranda venit. Sed, ob rationem antea dictam, nihil de urina dicendum.

Signa igitur nunc memorata irritationem in quadam parte corporis, ut in cerebro, manifeſtant, cum in omnibus aliis partibus debilitas quam maxime obtinet, et irritationis progreſſum prohibet; haec autem ſigna in febribus ante omnia eventum exitialem praeſagiunt.

SECT.

## Sect. V.

*Proclivitatis ad Putredinem in Humoribus Signa.*

VIS medicatricis et conſervatricis naturae *niſus quidam* vim ſepticam in primis viis ſaepe monſtrant; hinc cibi ex *animalibus* confecti *faſtidium*, in febribus frequentiſſimum, putredinem in *ventriculo* ſignificat; eandem ſignificationem habet *potus acidulati* et *diluentis* magnum in aegrotis deſiderium; plurima hujuſmodi affectionum exempla in operibus Hippocratis et Galeni extant, in febribus putredinem veriſimiliter habentibus; unum eſt in muliere quadam quae, 'Tertio a partu die, febre correpta eſt acuta, horrida, multo tamen ante partum febriculoſa decubuerat, *cibumque faſtidierat*;' et in fine hiſtoriae, 'haec perpetuo cibum faſtidierat, animo linquebat,' et tandem obiit *,' alia exempla paſſim in Epidem. occurrunt; hunc cibi faſtidium alia mala ſigna ſaepe comitantur, et tunc ſignum magis periculi habet.

Putredo

* Epidem. lib. iii. § 3. aegrot. 2.

Putredo etiam ſaepe dignoſcitur *guſtu malo* et *nauſeoſo*; hoc ſignum putridos quoſdam humores, &c. in ventriculo indicat, quorum vapores ad linguam et palatum exhalantes guſtum vitiatum efficit.

Eodem fundamento nititur quando aegri omnia ſibi oblata *putrida* et *nauſeoſa* putant. Nam iidem vapores putridi ex ventriculo orientes, *odoratus* inſtrumenta inquinantes, hunc effectum producunt.

*Foetor in reſpiratione* ſemper obſervatur ut putredinis ſignum maxime notabile, et non parum exitiale;

> Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
> Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
>
> De nat. rer. 6.

Diverſorum quidem hominum in ſanitate reſpiratio ex pulmonibus, ex *dentibus carie affectis*, et aliis cauſis, ſaepe graveolens eſt; ſed certum eſt ex vaporibus putridis a ventriculo talem reſpirationem in febribus non raro oriri.

Eodem referendi *ructus nidoroſi*, ut vocantur, qui putredinem magnopere redolent.

*Vomitus* in intermittentibus ex ſpaſmo, in continuis febribus ex debilitate, in continuis putredinem habentibus ex debilitate cum cauſa putrida, oritur. Vomitus, ſi pertinax ſit, fere ſemper putredinem no-

tat; hujuſmodi erant vomitiones antiquorum aeruginoſae, nigrae, graveolentes, &c. quarum exempla paſſim in eorum operibus obvia ſunt; hinc Hippocrates in Prognoſt. nos docet, 'Ocyſſimam abolitionem ſeu mortem indicare vomitionem lividam, ſi grave oleat; atque omnes ſubputres ac foetidi odores in omnibus vomitionibus mali ſunt;' et in hiſtoria mulieris quae in foro Mendacium decumbebat *, 'Duodecimo vomuit multa *nigra foetida*, ſingultus multus, ſitis laborioſa; et decimo tertio *nigra virulenta vomuit*, rigor, circa meridiem muta.'

*Alvi Dejectiones*, etiam ad vim ſepticam indagandam multum faciunt; dejectiones frequentes liquidae, et maxime foetidae, in febribus peſſimae ſunt; *colliquativae* vocantur, et poſt earum acceſſionem pauci ſuperſtites evadunt; plurima exempla in antiquis adſunt, ſufficiant autem in praeſentia ſequentia. Hippocrates ita ſe exprimit, 'Unoque verbo, qui longis morbis vel acutis tenebantur, *ventris vitio* omnes praecipue mortui ſunt †.' Quam ſententiam *ducis ſui divini* Galenus, in Comment. ſuo, his verbis confirmat: 'Et peſtis quoque

* Epidem. lib. iii. aegrot. 12.

† Epidem. iii. com. 3.

quoque illa longiſſima, quae noſtra aetate vulgata eſt, ex iis qui per alvum vacuantur, omnes prope peremit; quae evacuabantur, erat colliquatio.' Et in Coac. praeſag. cap. de deject. multa haec confirmant: 'Dejectio liquida, quae multum ac ſaepe movetur, aut ſaepe ac parum, malefica.' Eod. cap. text. 63. 'Quibus morbi diuturnitate jam extenuatis, alvus repente ſine cauſa ſolvitur, obmuteſcentibus, tremulis, illis eſt moriendum.'

Putredinis ſigna ſaepiſſime apparent in *ſanguinis* excretionibus; nulla vel imminuta *coagulatio* in ſanguine extavaſato putredinis ſignum eſt, ut naturam ſanguinis nuperis experimentis illuſtratam peritis facile appareat; ſed in hac re quoddam falaciae periculum eſt; nam, ob varias et incertas conditiones conſpectus ſanguinis mutari poteſt, ſed his cautis coagulationis abſentia ſatis vis ſepticae praeſentiam indicat.

Aliud ſignum putredinis ex ſanguine eſt; quando globuli rubri cum ſero miſcentur, *loturae carnium inſtar*.

Alia conditio putredinem indicans eſt, quando ſanguis bene coagulato ſimilis *minima agitatione* diffunditur.

Sed putridum ſtatum praecipue monſtrant *haemorrhagiae* ex variis corporis partibus; diverſis

etiam

etiam conditionibus fluunt; interdum enim *menſes* in foeminis, ſola naturalis haemorrhagia, ob putredinem vel citus ſolito, vel aucta quantitate, in febribus manant. Hunc ſtatum in febribus etiam indicant haemorrhagiae ex *renibus* et aliis organis uriniferis quorum vaſa, poſt vaſa uterina, facile dilatabilia ſunt: Hinc *urina ſanguinea* in febribus peſtilentibus et aliis maxime exitialibus. In febribus typhi generis exquiſite putridis ſanguis ex aliis et maxime inuſitatis partibus fluit. Ut enim impetus ejus varie concitatur, in *inteſtina craſſa* interdum manat, et dejectiones cruentas efficit; ſed ſuperius in canali alimentario lapſus non facile evadit, ideoque coagulatus et nigri coloris eſt; hinc *atrabilis* ab Hippoc. et aliis antiquis, ut multorum malorum fundamentum, memoratur; et *melaina* illuſtr. Sauvage eandem originem habere videtur.

Paucus ſanguis e *naribus* erumpens *ſine impetu* in capitis vaſis eſt ſignum fluiditatis in ſanguine, ideoque ſummae putredinis; et in febribus peſſimis ſanguis ex oculis, auribus, et etiam poris cutis manat, et ſymptoma quam maxime lethale eſt. Haec ſigna mortis manifeſtiſſima antiquorum ſagacitas non neglexit: 'Nares pauca ſtillarunt, ſignumque perniciosum fuiſſe *.' Tales ſtillae in febribus

* Hippoc. lib. iii. epidem.

febribus ſemper malignam earum naturam indicant; cujus exempla divinus Senex eodem libro nobis reliquit: ' Nam Philiſcus quidem, Epamenon, et Silenus, quibus parum quarto die et quinto e naribus ſtillavit, mortem obierunt.'

Sanguinis ſtillatio praecipue funeſta cum aliis malis ſignis apparens, ita ' ex naribus ſi ſtillicidium ſanguinis fuerit, cum ſudore frigido et refrigeratione extremorum, lethale *.' Mortifera igitur fere ſemper hujuſmodi ſtillicidia quorum multa exempla in Coi epidem. et Prorrhet. libris tradita ſtudioſi invenire poſſunt. Multa etiam de aliis ſanguinis excretionibus ab antiquis ex eorum experientia notantur; ſed, ut magis criſes quam putridum ſtatum reſpiciunt, in hoc loco minus neceſſaria ſunt.

Sanguis autem in hoc ſtatu non ſemper ex corpore excernitur, ſed in varias *telae celluloſae* partes effunditur, ibique ſtagnans *vaporem putridum vitae infenſiſſimum* producit; exempla hujuſmodi fatalis effuſionis in variis viſcerum abdominalium partibus ex ſectione cadaverum febribus malignis extinctorum, in operibus accuratiſſimi *Morgagni* et virorum illuſtr. *Pringelii* et *Lind* memorantur; de

* Prorrhet. 1.

de his vero internis effuſionibus, vita ſuperſtite, non tam facile judicium, ſed in corporis ſuperficie ſub epidermide ſaepe obſervantur, et ex forma et magnitudine, petechiae, maculae, aut vibices vocantur. *Petechiae* parvae, rotundae, et non eminentes per varios, diverſis temporibus, colores varios putredinis gradus manifeſtant. *Maculae* ejuſdem naturae ſunt, ſed majores. *Vibices* ſunt etiam magnae, ſed forma oblonga, quaſi virgis caeſus aegrotus fuiſſet. Hae omnes magnae putredinis ſigna ſunt certiſſima, ab antiquis etiam obſervata, ut ex multis locis Hippoc. et Galeni, et ex hiſtoria *peſtis Athenienſis*, quam contexuit celeberrimus *Thucydides*, claret. In Sileno, ni fallor, et aliis Hippocratis aegris febribus peſſimis correptis, petechiae vel maculae obſervabantur. *Seri* etiam ſub cute effuſio putredinem ſignificat.

Alia putredinis ſigna in variis *excretionibus* obvia ſunt; dejectiones foetidae et graveolentes, jam memoratae, malae ſunt quidem; ſed, niſi cum aliis ſignis malis appareant, exitium non praeſagiunt; nam ex putredine in inteſtinis craſſis tantum ſtabulante oriri poſſint, cum reliquum corpus a putredine ſatis liberum ſit.

Aliud eſt ſymptoma hujus generis *ſudor olidus* et *foetidus*; quamvis enim foetor ſudoris in univerſum

verſum putredinem non ſignificat, cum multi in ſumma ſanitate hujuſmodi ſudores habent; ſed ſi in febribus ſudores initio non graveolentes paulatim foetidiſſimi fiunt, ſuſpicionem gravem putredinis creant, praeſertim ſi eodem tempore ſerum a veſicatoriis, et alia omnia ab aegro orientia, eundem foetorem habent. Denique, ſi ex toto corpore *exhalatio cadaveroſa* oriatur, putredinem exquiſitam ſignificat, et de miſero aegroto actum eſt. Egregius poeta ſaepius in hac diſſertatione laudatus multa *debilitatis* et *putredinis* ſymptomata nobis multo magis facunde et eleganter deſcripſit.

Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu.
Inde, ubi per fauces pectus complerat, et ipſum
Morbida vis in cor moeſtum confluxerat aegris;
Omnia tum vero vitai clauſtra lababant.

*Subſultus tendinum* et *extremarum frigus*.

In manibus vero nervi trahier, tremere artus;
A pedibuſque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat:——

*Facies Hippocratica*, &c.

———Item ad ſupremum denique tempus
Compreſſae nares; naſi primoris acumen
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,

Duraque;

Duraque; inhorrebat rictum ; frons tenta minebat,
Nec nimio rigida poſt ſtrati morte jacebant.

*Haemorrhagiae putridae* ita notantur,

Aut etiam multus capitis cum ſaepe dolore
Corruptus ſanguis plenis ex naribus ibat;
Huc hominis totae vires corpuſque fluebat.

Et iterum,

Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine, et ulceribus vocis via ſepta coibat.

Haec omnia in morbi initio interdum apparent cum reactio adhuc viget ; ſed multo ſaepius morbo provecto, et tum ſemper ſignis debilitatis extremae ſtipantur.

Signis pleriſque quae mortem in febribus vel reactionis vi, vel ex debilitate, vel ex putredine intentant, nunc contemplatis ſtatuendum eſt *praeſagium*, non ex uno vel altero, ſed ex omnibus quae in ſingulis aegrotis occurrunt ; et quamvis multa debilitatis et putredinis ſigna conjuncta mortem certiſſime praeſagiunt, interdum tamen, his etiam praeſentibus, *mirae* et plane *inſperatae* ad ſanitatem

tem *reſtitutiones* eveniunt. Typho cum peſſimis ſignis provecto reactio ſalutaris ſaepe oritur, et ad criſin evehit; ſed qua ratione modoque *natura medicatrix* in hoc caſu agit potius ignoratur: Sed eo uſque obſervari poſſit, cordis actione mediocriter integra, pulſu, pro ratione aliorum ſymptomatum, nec debili, nec crebro, et infra 120 in 1. nullis putredinis ſignis manifeſtis, non deſperandum eſſe; ſed debilitate extrema, cum ſignis irritationis in cerebro et putredinis in humoribus conjuncta, exitium nunquam non expectandum eſſe. Sed quid multa? Cum *Hippocrate divino* finiam, 'Nec vitae nec mortis praeſagia *unquam abſolute certa eſſe.*'

## SECT. VI.

### *De Diebus Criticis.*

AD prognoſin in febribus rite indagandam *dierum criticorum* cognitio maxime neceſſaria; ſine hac enim cognitione rationes concurſus et ſucceſſionis ſignorum ſupra dictorum intelligi non poſſint; tales autem concurſus atque ſucceſſiones ſymptomatum ad praeſagium maxime conferunt. Ad hanc cognitionem aſſequendam, mutationes quae in febrium progreſſu neceſſario et conſtanter fiunt, nunc contemplandae veniunt. Etiam an tales motus *ſemper* periodici atque *certi* ſunt, et an morbi *duratio* et *eventus* ex his definiti. Haec primo aſpectu eſt ſummi momenti ac ponderis inquiſitio, cum horum dierum obſervatio non minimam doctrinae antiquorum de prognoſi partem conſtituit, qui dies *decretorios* et *judicatorios* vocabant; et ſi ſententiae non ſolum antiquorum, verum etiam plurimorum recentiorum maxime prudentium et celebrium fidem

dem habeamus, vere *decretorii* ſunt. Ad ſenſum noſtrum in hac re ſtabiliendum multa argumenta adſunt, ni fallor, firma; ſed ea nunc proponere, hujus diſſertationis limites multum excederet, et non ſine voluptate relinquo, cum academiae et omnibus medicinae cultoribus gratulari poſſum juvenem ingenuum, eruditum, nobiſque multo magis peritum, de hac materia brevi ſcripturum eſſe.

In prognoſi febrium tentanda doctrinam optimi et nunquam ſatis colendi magiſtri illuſtr. Cullen ut plurimum ſequor, non quia ejus eſt,

*Nullius enim in verba* juro magiſtri,

ſed quia mihi ex animo videtur veriſſima et optimis fulcita rationibus. Summa cum voluptate eam doctrinam medicorum antiquorum maxime illuſtrium conſenſu confirmatam inveni, et fidenti animo ſpero, magni illius viri, excellentis et ad omnia parati ingenii, doctrinas errorem ſuperantes, non ſolum in Britannia ſua, ſed ubique terrarum edoctas et expolitas videre. De morum comitate, de beneficentia, aliiſque animi virtutibus, nihil dicemus, praeconium noſtrum longe ſuperant. Vigeat in omnes annos fama, omnia fauſta feliciaque ei contingant,

——*Victorque virum volitare per ora.*

Prae-

Praeſagio noſtro ſic ad finem perducto, tantum reſtat eruditos veniam errorum dare precari, et mendis quibus ſcateat hoc tentamen, ob brevitatem temporis, currente calamo, ob adverſam valetudinem dolore, et moleſtia ſcriptum, ignoſcere; omnes errores et mendas, et in materie, et in ſermone, noſtras eſſe lubentiſſime agnoſcendum; eos enim qui diſſertationes a *ſeipſis* non *compoſitas*, ſuo nomine publici juris faciunt, non ſolum *medicorum*, verum etiam *proborum*, et *literatorum hominum* nomine *indignos* aeſtimo. Maxime quidem dolendum eſt, ſermonem Latinum noſtris temporibus a paucis cultum eſſe; merito *clavis literaturae* dicitur, et bene a quibuſdem obſervatur, quod pro ratione qua Linguae Graeca et Romana leguntur et coluntur, earum gentium virtutes notae atque uſitatae ſunt.

Denique liceat mihimetipſi gratulari ob felicitatem inſignem ſortis meae qua obtigit ſtudia ponere in academia ubi omnes artes et diſciplinae a Profeſſoribus doctiſſimis atque celeberrimis docentur: Praecipue vero *medicina* in variis ejus partibus a ſummis et egregiis viris excoletur; his *magiſtris meis* dilectiſſimis, et nunquam ſine honore nomi-

nominandis, propter beneficia in me collata gratias maximas et infinitas ago.

——Haec mihi
Semper erunt imis infixa medullis.

Satis diu in hac academia vixi alium magiſtrum habuiſſe *beatiſſimae memoriae*; eheu vere beatae, *amicus humani generis* erat, et non ex eorum numero qui, cum omnia jura divina humanaque violaſſent, prava et indecora adulatione beatae eſſe memoriae dicuntur; *Gregorium* noſtrum intelligo, cujus immaturum fatum omnes boni lugent, ſemperque lugebunt.

Quis deſiderio ſit pudor aut modus
Tam chari capitis? Praecipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Urget? Cui Pudor, et Juſtitiae ſoror,
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,
Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit.

Summae in ſua arte excellentiae optimus ille conjunxit pulcherrimum, noſtriſque temporibus rarum, exemplum omnis generis virtutis, ingenii, doctrinae, morumque elegantiae.

Opera

Opera ejus nobiſcum manent, amicis et diſcipulis ſolatium, omnibus ſummae animi benevolentiae, judicii ſubacti, ingenii et ſcientiae,

——Monumentum aere perennius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum. Horat.

De egregio viro, dum inter vivos eſſet, *C. Marii* verba ſaepe in animum venere: ‘ Mihi, qui omnem aetatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex conſuetudine in naturam vertit.’ Et quamvis mortuus eſt, *exemplo* atque *ſcriptis etiamnum loquitur*:

Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam; uſque ego poſtera
Creſcam laude recens.—— Horat.

FINIS.